



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

92. Ponuntur duo casus circa Sacerdotes concelebantes cum Episcopo,  
qui possunt applicari Episcopis consecratis, qui postea simul consecrant  
(prout supra explicatum est) cum Episcopo Missam ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76369)

2. Sed profus contra Durandum firmandum est hunc ritum, & morem, honestum, & licitum esse, cum receptus sit, & vigeat in tota Ecclesia tum Græca tum Latina, & in Pontificali Romano præcipiatur ita fieri, & propterea noui Sacerdotes in sacro illo, in quo sacerdotalem Ordinem suscipiunt, cum ad verba consecrationis accedunt, ex ipsius Pontificalis præcepto moueantur, vt eiusmodi verba pronuncient cum intentione consecrandi. Nec enim Sacerdoti, vel cogitari potest, Ecclesiam totam in re tam graui errare, nec in Pontificali Romano aliquid iniungi, quod vel diuinæ legi, vel rectæ rationi contrarium sit: Vnde infero, legem illam libri Pontificalis pro tota Ecclesia, non fuisse adhuc latam tempore Durandi, ratioque est in promptu, quia qualibet ferè Diocesis sicut suo Missali, & Breuiario, sic suo Pontificali, & Rituali vtebatur. Et hæc omnia docet Bernal. *de Sacram. disp. 45. sect. 1. § 4. num. 20.* & Amicus vbi infra, n. 196. apud quem extat etiam opinio de autoritate Romani Pontificalis.

3. Vnde Lessius in 3. part. quest. 82. num. 4. sic ait: [Notandum est, consuetudinem illam, qua noui Sacerdotes consecrantur in Ordinatione, non esse vniuersalis Ecclesiæ, vnde Durandus *distinct. 13. quest. 3.* audent eam improbare, dicitque esse abrogandam. Verum quia etiam in Ecclesia Romana, & plerisque aliis seruatur, non est priuatorum Episcoporum autoritate facile abroganda, nam in vetusto Pontificali Romano, vt refert Caietanus de recenter ordinatis, dicitur: dicant omnia quæ sunt in Missali, sicut si celebrarent.] Ita Lessius, cui adde Præpositum in 3. part. quest. 82. num. 5. & Marchinum *de Sacram. Ordinibus tract. 2. part. 8. cap. 10. num. 5.* Mercetum in 3. part. quest. 82. art. 2. cum aliis. Dicendum est igitur rationabilem esse huiusmodi consuetudinem; multa suadent: Primò, quia credibile est, eam Apostolos à Christo didicisse, & de eius mandato ad nos peruenisse, maxime cum non modò in Ecclesia Romana, sed etiam in Græca seruetur, quomodo ergo audent præallegati Theologi, tam Vniuersalem Ecclesiæ ritum toto Orbe terrarum diffusum, à tot Pontificibus per tot secula approbatum, damnare? Secundò quia Sacerdotes cum Episcopo Sacramentum faciunt, in signum potestatis acceptæ. Quare sicut Apostoli Christo cœnantem concenauerunt, ita noui Sacerdotes Episcopo celebranti concelebrant, vt inquit S. Thom. 3. part. quest. 82. art. 2. in corp.

4. Nota hic obiter: quod hic casus olim contingebat in Summo Pontifice, quo solemniter celebrante, Presbyteri Cardinales olim concelebrabant, & idem ritus seruabatur in Sacerdotibus, qui Episcopo rem diuinam solemniter facienti assistebant, vt tradit Innocentius *lib. 4. de mysteriis Missæ, cap. 25.* sed neuter casus est vsu, vt notat Suarez *de Sacramentis, disp. 71. sect. 3. initio & prope finem*, & Marchinus vbi supra, num. 1. Ad argumenta verò superius adducta, respondet Amicus in *Cursu Theologiae, tom. 7. disputatione 24. sect. 7. num. 211.*

## RESOL. XCII.

Ponuntur duo casus circa Sacerdotes concelebrantes cum Episcopo, qui possunt applicari pro Episcopis consecratis, qui postea simul consecrant, (provi supra explicatum est,) cum Episcopo Missam concelebrante. Primus, si Episcopus celebrans Missam illam quatenus satisfactoriam offerat pro anima Petri, alius verò concelebrans pro anima Pauli, & alius pro anima Antonij, &c. cuiusnam harum trium animarum re ipsa proderit?

Secundus, an concelebrantes cum Episcopo integrum

fructum illius Sacrificij ex opere operato referant?  
Ex p. 12. tr. 1. Ref. 92.

§. 1. PRIMUS casus proponit Bernal. *de Sacramentis, disp. 45. sect. 2. § 2. num. 11.* sic enim alferit; [Offerat Episcopus Missam illam, quatenus satisfactoriam pro certa quadam Purgatorij anima, vt verbi gratia Antonij, & Paulus tunc recens ordinatus, & cum Episcopo consecrans pro anima Francisci, & Martinus pro anima Augustini, cuiusnam harum trium animarum re ipsa proderit, & cum effectu applicabitur illius sacrificij valor satisfactorius; Non vni dumtaxat, quia non videtur ratio maior cur huic, & non isti, vel illi applicentur. Non omnibus tribus, quia satisfactio est vnica, & finita, non valet nisi vni applicari, & re ipsa prodesse.]

2. Respondeo primùm, si recenter ordinati Sacerdotes iuxta rectam rationem operentur, satisfactio illius sacrificij re ipsa proderit, & cum effectu applicabitur ei soli animæ, pro qua Episcopus obtulit: Quia recenter illi Sacerdotes ex norma rectæ rationis agentes quemadmodum cauere debent, ne prius perficiant verborum prolationem, quam Episcopus, vt non cum consecratione priuient, sed curare debent cum Episcopo simul perficerent, vt idem cum illo sacrificium efficiant, eadem ratione debent non illud quatenus satisfactorium offerre pro aliis animabus, sed pro illa tantum pro qua illud offert Episcopus, sic profus, vt in offerenda satisfactio non aliam habeant intentionem, nisi quam habet Episcopus ita n. fiet, vt siue ipse Episc. solus consecret, cæteros auertentes, siue non ille consecret, alio, vel aliis peruenientibus sacrificij fructum, Episcopo relinquat integrum, vt debent tanquam & per se, & independenter ab ipsis Missam celebranti, & tanquam Patri spirituali, & recens de ipsis per ordinationem optime merito, & qui certissimè satisfactioem alicui determinatæ suæ intentione destinavit, quod recens ordinati in illo sacro facere non solent.

3. Respondeo deinde: si prædicti Sacerdotes valorem illius sacri satisfactorij, offerent pro distinctis animabus ab illa pro qua obtulisset Episcopus, adhuc mihi probabilius videtur Episcopi voluntatem siue intentionem, & oblationem præualuerunt, pro futurumque satisfactorij valorem solum ei animæ pro qua Episcopus obtulisset, quia quantumvis alij quoque verissimè consecrarent, & tam Episcopus, quam ipsi consecrarent instrumentaliter, adhuc tamen Episcopus cum cæteris consecrans videtur esse principalis, aliisque accessorij; quia Episcopus vbi tunc consecrat sine illorum consortio, postet consecrare non solum validè, verum etiam licitè, reliqui vero vbi tunc consecrant, nec licitè, nec validè consecrare possent, nisi dependenter ab Episcopo materiam præsentem habente, cum quo cæteri recens ordinati constituant moraliter vnum. Igitur Missa illa principaliter est Missa Episcopi, accessorie cæterorum, ac per consequens effectus illius sacrificij satisfactorij Episcopi intentionem sequi debet.

4. Respondeo tandem: si Episcopus re ipsa non consecraret, percurrentibus scilicet duobus, simulque & verè consecrantibus, quorum vnus valorem satisfactorij obtulisset pro anima Petri, alter pro anima Pauli, tunc valoris vna pars obtineret animæ Petri, & altera animæ Pauli. Quia illi duo Sacerdotes non se haberent, vt principalis, & accessorius, sed essent profus æquales: proinde non esset, cur vnus intentio alterius intentioni prævaleret. Nec esset cur ambobus frustrarentur; cum valor ille non esset indiuisibilis, possétque in duas diuidi medietates, quarum altera animæ Petri, & altera animæ Pauli obtingeret. Et hæc omnia docet Bern. vbi supra.

5. Sed

Sup. hoc in  
S. 1. not. præ-  
teritæ, cur-  
sim ad lin. 7.  
& vers. Et in  
Ecclesia.

§. Sed audiamus secundum casum à Marchino allatum, sic itaque ait de *Sacr. Ord. ir. 2. p. 8. c. 18. n. 10.* Secundò, deducitur concelebantes cum Episcopo, integrum fructum illius sacrificij ex opere operato referre. Ratio est, quia quilibet est verus Minister totum ac integrum Christum, qui in hoc sacrificio res oblata, verè sacrificans. Item quia non esset maior ratio de vno sacerdote, quam de alio: igitur omnes secundum propriam dispositionem recipiunt fructum illum sacrificij ex opere operato, qui offerenti à Deo tribui solet. Quinimo probabile mihi est, licere vnicuique concelebanti, tunc alteri applicare pro libito suo fructum illum sacrificij, quem vocant medium; seu qui aliis à sacerdote ex diuina institutione est applicabilis; siquidem ita quilibet sacrificat propria actione, & operatione, ac si non concelebret, sed solus offerret, consequenter omnia potest, quæ posset si solus offerret, sed si iste solus offerret, fructum Missæ medium alteri pro libito applicare posset, ergo etiam idem tunc poterit. Huevsque March. que quidem omnia videntur applicari posse in casu nostro Episcopis consecratis, qui postea simul concelebrant cum Episcopo Missam celebrante, modo quo supra explanatum est, & Pontificale Rom. præscribit. Et ita hanc sententiam tenet nouissime Quintanaduena de *Præceptis Ecclesiæ tom. 2. tract. 2. singul. 3. num. 7.* omnino videndus.

RESOL. XCIII.

De reuerentia, quam debet Episcopus consecratus Episcopis, qui illum consecraverunt. Ex part. 12. tractat. 1. Resol. 93.

§. 1. Nimiam reuerentiam debet filius Patri, & ego non minorem existimo deberi ab Episc. consecrato Episcopis Consecratorib. probatur hoc, & auctoritate Tulberti *Epist. 23.* cuius verba afferit, & ponderat D. Hallier de *sacris elect. part. 1. cap. 2. art. 1. §. 2. num. 23.* vbi sic ait: Ea quoque reuerentia Consecratoris seu Ordinatoris Episc. exhibeatur, vt spiritalis Pater haberetur; & cum acculare nefas esset? id enim ab Hadriano I. in Capitulis Angilramno datis, necnon in Capitularibus Caroli magni cautum legitur, vt Episcopi Pontifici à quo consecrati probantur, præiudicium inferre nullum possint, quod si præsumptum fuerit, viribus carere non dubium est, nec posse inter Ecclesiastica vllò modo Statuta censeri, idèoque Lupus Ferrariensis Abbas *Epist.* ad Guenitionem Senonensem infensum redderet, multa in eum à Lupo Ferrar. mota retulerat, huius rei suspensionem ita à se remouet: Quomodo enim (inquit) tantæ possem effici paruitatis, vt depositionem eius cuperem, cuius acceperam diuinitus consecrationem. Ideo etiam Leo Rom. Ecclesiæ Diaconus, Sixti III. Legatus Ephemium Episcopum qui Polychronium Hierosolymitanum licet iustè, & veraciter accusauerat reprehendisse dicitur eumque iis verbis inceptasse; ex te enim damnaberis, quoniam Pontif. qui te consecravit Coepiscopum condemnabas, & accusabas, vt legitur in *Epist. Nicolai I.* Hinc etiam Fulbert. *Epist.* ad Leutherium Archiepiscopum Senonensem: multum, (inquit) amoris, ac fidelitatis tibi Pater me debere censeo, per cuius manum à Deo benedictionem; & sanctam Vnctionem accipi, vnde animus meus ita pendet ex tuo, vt quidquid te iusta ratione, aut contristat, aut hilarat, idem me, si respiciam simili modo afficiat. Potuimne Fulb. efficacioribus verb. necessitudinis vincula inter Ordinantem, & Ordinatam declarare, quam vt ea libertorum, ac parentum nexibus equiparet, & amoris, atque fidelitatis obli-

Tom. IV.

gatione ordinatum constingere deceat? ideo enim Episcopus Episcopum patrem vocat, quod ab eo ordinatus, quod eius ministerio Ecclesiæ datus, & populorum pater effectus esset: filium ergo se illius nominat, à quo se meminit ordinatum, quæ forte opinio Diui Paulini, qui Nolanam postea feliciter Ecclesiam Episcopus administravit, inhæsit animo, dum fraternam inter eos, qui ab eodem ordinati, vel in Clericos vendicati essent, necessitudinem inesse arbitrat; sic enim ipse *Epistola ad Alipium*: quod indicasti iam de humilitatis nostræ nomine apud Mediolanum te didicisse, fateor curiosus me velle condiscere; vt ex omni parte te nouerim, quo magis gratulet si à suscipiendo mihi Patre nostro Ambrosio, vel ad fidem inuitatus es, vel ad Sacerdotium consecratus, vt eundem ambo videamus habere auctorem. Non parum ille necessitudinis inter eos inesse iudicabat; qui ab eodem essent ordinati, qui de eo tam curiosè sciscitatur, quia cum Alipio se strictiori vinculo coniunctum esse gestiret, scire vehementer optabat, nam ab eodem ambo, vel baptizati, vel ordinati essent, quatenus spirituali ista, seu cognitione, seu affinitate coniunctiores euaderent, & de ea ipsa congratulati, & congaudere posset.

2. Et hæc omnia docet Hallier vbi supra, quæ vtinam obseruarent aliqui Clerici, qui quotidie Sacram Congregationem Cardinalium infestant, libellos aduersus suos Episcopos porrigentes; & faxit Deus an bono Zelo.

RESOL. XCIV.

An Episcopus consecratus in die Natiuitatis Domini post sumptam Communionem, & facta consecratione cum Episcopo celebrante, possit postea dicere duas Missas.

Idem est de Sacerdote simplici ordinato in die Natiuitatis Domini. Ex p. 12. tr. 1. Res. 94.

§. 1. Casus est curiosus, & ad illum affirmatiuè Respondeo qui cum Quintanaduena de *Præcept. Ecclesiæ tom. 2. tract. 2. singul. 3. num. 8.* vbi sic ait: si quis in die Natiuitatis Dominicæ in Episcopum consecratur post primam Missam, quam celebrat cum Consecratore; seu in ipsa sua consecratione, possit consecratum alias duas celebrare, vel communes, vel Pontificias, ducor iis fundamentis, quia licet ipse tunc communicet de manu Episcopi consecratoris, non tamen communicat, vt laicus, sed sicut Sacerdos celebrans, quia Eucharistiam sub vtraque specie suscipit, & verè celebrat, sicut dicitur in Pontificali Romano Clementis VIII. fol. 103. sic: Ponatur vna Hostia consecranda pro consecrante, & consecrato, & vinum consecrandum in Calice, sufficiens pro vtroque. Et post consecrationem, & pacem additur. Deinde postquam Consecrator Corpus Domini sumperit, rotum Sanguinem sumit, sed solum partem eius cum particulæ Hostiæ in calice missæ. Et priusquam digitos abluat, communicat consecratum prius de Corpore, tum de Sanguine; Deinde purificat se, deinde consecratum, &c. & consecratus prosequitur Missam, sicuti Consecrator. Et antea dicitur consecratus ante se habens Missale suum simul cum Consecratore dicit, & facit omnia, prout in Missali. Igitur cum æquè vterque celebret, & celebrando communicet consecrator, & consecratus, æquè possunt post primam Missam alias duas celebrare. Ita Quintanaduena. Vnde ego supra rectè docui Sacerdotem ordinatum ex concessione Apostolica in die Dominico, & postea eodem die consecratum in Episcopum

K k 3 posse,

Sap. hoc in tom. 3. tr. 1. ex Res. 94. lege doct. §. vlt. & alterius Res. & §. eius not.